





JOH. JOACHI-
MUS  Schöpffer,

704

18

1709 2.

J. U. D. ET PROF. COMES PALAT. CÆSAR. CONSIST. DUC.
CONSILIAR. ET CANCELL. MECLENB. VICE. DIRECTOR
h. FAC. JURID. PRO. DEGANUS.
SVO ET AMPLISSIMÆ FACULT. JURIDICÆ NOMINE

AD
DISPUTATIONEM SOLENNEM INAUGURALEM

DE
VERBIS HONORIS,

VIRO NOBILISSIMO Ac CLARISSIMO
DN. MARTINO ALBER-
TO Willebrandt / Rostochiensi

J. U. CANDIDATO FLORENTISSIMO

DIE V. DEC. A. MDCCIX. HORIS ANTE & POMERID.
PROPOSITAM

MAGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLUSTRIS REGIMINIS
PRO CERES, AMPLISSIMUM UTRIVSQUE REIPUBL. SENATUM,
OMNESq; OMNIUM ORDINUM DOCTORES AC LICENTI-
ATOS, ECCLESIASTAS, MAGISTROS, STUDIOSES,
OMNESq; LITERARUM FAUTORES, DEBITA
CUM HUMANITATE, OFFICIOSE
INVITAT.

Rostochl, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
& ACAD. Typogr.

Regulæ quædam de interpretatione verborum

105



Spinosa & multum intricata est materia de *Verborum Interpretatione*, quæ tamen in jure tam publico, quam privato, sua se commendat utilitate, imo nec jus Gentium hac carere potest doctrinâ, quia ab omni ævo, inter gentes, lites ortæ sunt gravissimæ, de pactorum interpretatione, quæ haud raro

non tantum rationibus ac argumentorum ponderibus, sed & igne & armis, quæ ultimæ Regum rationes dicuntur, ventilatæ sunt. Germania præcipuè maximo suo deplorabit damno, quod nulla pacis instrumenta, cum Rege Galliæ, tam clarè, tamq[ue] perspicuè conscribere, sigillis ac subscriptione firmare potuerit, quæ non Rex interpretatione quâdam, dubia reddere, suoq[ue] jure Canonico explodere potuerit, ut nullus dubitem, quin vicinities læsi, tandem didicerint cautius, cum hoste astuto ac circumspicuo agere, atq[ue] futuræ suæ securitati plenius sibi prospicere.

Quæ olim inter Gentes de hac disputata sint materia, magnam partem tradiderunt excellentes illi juris Gentium Doctores Hugo Grotius de *Jure Belli & Pacis* l. 2. Cap. 16. & Samuel. Puffendorff. de *Jure Natura & Gentium* Lib. 5. Cap. 12. Quo me hac vice remitto, & paucis, quoad præsentem materiam, ex Jure Romano Justiniano, quod ob æquitatem, quam præ se fert in Germaniâ, juris communis sibi meruit nomen, noto: Quod verba clara, in vulgari & consveta capienda sint significatione; Nomina enim eo sine sunt excogitata, ut monstrant voluntatem loquentis vel scribentis Celsus in *L. Labes* aut 7. §. 2. ff. de *suppellect. leg.* Adeoq[ue]



709
oque talis censetur esse animus dicentis, quem verba præ se ferunt. Quoties ergo in verbis nulla est ambiguitas, toties non debet admitti voluntatis quæstio, ut verbis conceptis docuit acutus Paulus in *l. Ille aut ille 25. ff. d. Legat. 2.* Nemo enim existimandus est dixisse, quod non mente agitavit ut loquitur Jctus in *d. l. 7. §. 2. ff. d. Supell. legat.* Adeoq; claris insistendum est verbis, licet disponens alio proposito locutus sit *l. Si alii 19. ff. d. Us. & Usufr. leg.*

Quæ præcepta Juris si ad *Verba honoris*, quæ & civilia, vel barbare complimentosa dicuntur, applicentur, non poterit non decisio contra eum ferri, qui talia verba protulit, hic enim in culpa est, quod verba in alio proferat sensu, quam alias verba communiter ferunt, poterat enim ejusmodi verbis non uti, certum vero quod interpretatio contra eum sit facienda, qui clarius loqui potuisset, si voluisset. Quæ

doctrina veteribus dudum placuit juxta *l. Veteribus placet 39. ff. d. pact. ibi: Veteribus placet, pactioem obscuram vel ambiguam illis nocere, in quorum fuit potestate legem apertius conscribere.* Si vero damnum ex his verbis sentiat, sentire non videtur, quia sua sentit culpâ *l. 203. ff. d. R. J. & Cap. 86. d. R. J. in 6to.*

Accedit alia interpretationis regula, quæ vult: Ita faciendam esse interpretationem ut actus valeat, non ut corruat, *l. Quoties 80. ff. d. Verb. Obl. & l. Quoties 12. ff. d. reb. dub. l. 21. ff. cod.* Verba enim cum effectui capienda sunt juxta *l. si per alium §. 2. in fin. ff. Ne quis eum, qui in jus vocab.* Si quis ergo petenti beneficium respondeat: Se suaq; omnia petentis utilitati inservire. Non poterit non ex promissione obligatus esse, quia verba per se sunt clara, & petentia quocq; in vulgari significatione acceptat, promittens

105
tens ergo complimentosa verborum exceptione, ut
ita loqvar, ab obligatione se liberare non poterit, quia
verborum inanium exclusæ sunt captiones *l. ult. C. qui
admitti ad bon. possess.* clarius enim loqui potuisset &
debuisset, si alteri beneficium modeste petenti, id de-
negare voluisset.

Dictis alia interpretationis regula adversatur,
quæ vult: Voluntatem potius, quam verba confide-
randa esse, teste Papiniano in *l. Pater. 101. pr. ff. d.
condit. & demonstr.* Plus enim valet quod actum,
quam quod scriptum vel dictum *tot. tit. C. Plus valere
quod agitur, quam quod sim. concip.* Hinc semper
inquirendum & sequendum quod actum est *l. semper
34. ff. d. R. J.* Conspirat Cicero *Lib. 1. Offic. ibi: in fide
quid senseris, non quod dixeris cogitandum*, quia prior
atq; potentior est mens dicentis, quam vox, Celsus in
l. Labeo ait 7. §. 2. circa fin. ff. d. superlect. legat. Quæ
si applicentur ad verba honoris, facile liquet, ex illis
nullam firmam induci obligationem, quia, eâ mente
verba non sunt prolata, ut quis se obligaret, sed eâ
mente, ut alteri humanitatem in verbis exhiberet, ut
ut ergo quis vel centies, ad alterum dixerit: *Quo-
bitu sem Diener* / ex his tamen verbis nullus induci
potest consensus: Nec est quod excipias: Hac ratio:
ne alterum decipi, quia alter intelligit vel intelligere
debet, *verba honoris*, ex more inter homines dudum
recepto, nullam inferre obligationem, vulgatum
enim: quod *Complimenta neutiquam sint cordimentâ,*
sed nudæ ceremoniæ, inter homines, civilitatis causa,
receptæ, sine animo se obligandi. Hinc impuden-
tem iudicat Puffendorff. *d. jur. Nat. & Gent. Lib. 5. Cap.
5. §. 10.* qui ejusmodi verba presse accipiat, Ade-
oq; verba impropiare potius decet, quam à voluntate
loquentium

loquentium recedere Mev. *part. 7. Dec. 43. n. 3.* Barbos.
Lib. 11. Cap. 23. ax. 2. Verba enim valent ut nummi,
 quorum valor in quibusdam receptus locis, in aliis
 vero reprobatus est, ergo in interpretando sermone
 id sequimur, quod in regione, in qua actum est, fre-
 quentatur *l. Semper 34. ff. d. R. J.* quoties ergo mani-
 festo constat, aliud sensisse loquentem, quam dixisse,
 toties à significatione propria verborum recedi oportet
 arg. *l. Non aliter 69. pr. ff. d. leg. 3. l. Si ita 126. §. 2.*
in fin. ff. d. V. Obl. l. 1. §. 3. in fin. ff. d. Aleator. Verba
 enim non valent ex sua natura, sed ex impositione ho-
 minum Puffendorff. *d. Jur. Nat. & Gent. Lib. 4. Cap. 1.*
 §. 4. Quoties ergo constat verba honoris, animo
 blandiendi, non vero se obligandi prolata esse, toties
 carent effectu, quia in omni pacto, omniq; contractu
 duorum adesse debet consensus *l. in omnibus 55. pr. ff. d.*
Obl. & act. Equidem pleriq; mecum facient, si verba
 sint penitus generalia, & nihil certi involvant, quia
 nemo se in infinitum, maximo suo incommodo, obli-
 gasse censendus est, verum eadem argumenta procedunt
 quoq; in verbis specialioribus, si modo constet
 de animo, quod honoris causa, & non animo se obli-
 gandi prolata sint. Solenne ejus exemplum recenlet
 Happel. *in der Kern Chronick. p. 2. ad annum 1688. fol. 164.*
 Quod Rex Angliæ Jacobus secundus, ejusq; conjux
 Regina, cum magnam deseruissent Britanniam, & Regis
 Gallia Ludovici XIV. tutelam implorantes, hujus fi-
 dei atq; hospitio se committerent, verbis admodum
 honorificis excepti sint. ibi: *Denn 27. Dec. 1688.*
ward die Königin in Engeland von dem Könige emp-
fangen und wurd Ihr gesaget: Dass Sie als völlige
Gebietherin / so wohl hier / als in Engeland zu befeh-
len hette. Den folgenden Tag / empfing der König den
)3 *Engli.*

Englischen König/ zu welchen Er sagte: Daß Er hier
 so wohl/ als in London zu befehlen hette. Hæc verba,
 si quis sensum respiciat Grammaticum satis sunt cla-
 ra, nec generalia, sed specialia, imo specialissima,
 quia eadem conceditur potestas imperandi Parisiis,
 quam Rex Jacobus habuerat Londini. Si vero actuale
 imperium ex his verbis, in Gallia vel Parisiis affectas-
 set Jacobus Rex, merito eum impudentem dixissent
 Galli, qui verba honoris in proprio capere vellet si-
 gnificatū, contra intensionem profereatis, verba
 enim ad complacentiam prolata, ut loquitur Boër.
Dee. 173. n. 37. non inducunt obligationem Feltman. d.
juram. perhorresc. Cap. 27. n. 10. Quam materiam plen-
ius excussit Nobilissimus atque Doctissimus DN.
MARTINUS ALBERTUS Willebrandt / J. U.
Candidatus Florentissimus, in Dissertatione inaugurali,
 quam hodie publico eruditorum submittit examini-
 De cujus dignissimi Candidati honesto ortu, ingenuis
 moribus, probatisq; studiis paucis indico: Natū eum esse
 Rostochii 20. un. An. M DCLXXXIV. Patre Viro
Prænobilissimo, Amplissimo, Consulissimo atq; Excellentissimo
DN. ALBERTO Willebrandt / J. U. D. & Prof. Publ.
Ducalicerberrimo. Matre vero adhuc per DEI gratiam
 superstitē, *fœminā omni virtutum decore fulgidissima CA-*
THARINA CHRISTINA Fischen / filia DA-
NIELIS FISCHERI, Jcti Excellentissimi, Serenissimo
Brunsvic. & Lunenburg. Duci RUDOLPHO AUGUSTO
Consiliarii, & Amplissime Rostochiensis Republicæ Consulis
meritissimi, & SOPHIÆ ELISABETHÆ von Bô-
ckela / MARTINI von Bockeln / Jcti eminentissimi,
REGIS SVECIÆ variorumq; Principum Consiliarii
intimi & Cancellarii longe meritissimi, filæ. Avo pater-
 no gaudet Viro *Consulissimo atq; Excellentissimo* DN. AL-
BERTO

BERTO Willebrandt / *J. C. o. excellente, Codicis Professore Ducali, atq; Consistorii Ducalis Consiliario splendidissimo. Avia vero materna fuit femina nobilitate generis, omnig; virtutum laude conspicua* **ELISABETHA COTHMANNIA, DN. JOHANNIS COTHMANNI, J. C. u. Con. summatisimi, Serenissimig; DUCIS MECKLENBURGENSIS** ultra XXXV. annos *Consilarii & Cancellarii eminentissimi, filia. Taceo nunc Proavum paternum DN. NICOLAUM Willebrand Phil. & J. U. D. & Moraliu Prof. Publ. nec non Practicum, causarumqve forensium patronum felicissimum, ut & Proaviam CATHARINAM Heins / DN. FRIDERICI Heins / J. U. D. & Prof. Celeberrimi, Sereniss. Duc. Meclenb. Consilarii, tandemq; Consulis & Syndici hujus civitatis meritisimi filiam, aliosq; celeberrimos Majores. Tam splendido natus sanguine hic Candidatus, ab incunabalis majorum virtutes secutus est, optimiq; parentes ad feliciorum educationem omnia summo contulerunt studio, credentes, se filio huic unico, nullum thesaurum pretiosorem, nullumq; patrimonium stabilius relinquere posse, quam ingenuam educationem, hinc eum limandum, poliendumqve variis privatis commiserunt Praeceptoribus, inter quos praecipue laudat Virum Plurimum Reverendum DN. TIMOTHEUM LUTKEMANNUM, Philosophiae Magistrum, & Ecclesiae Germanicae, quae Holmiae Suecorum est, Antistitem primarium. Prima juris fundamenta ab excellentissimo Parente hausit, eo vero praematura placida tamen morte erepto, vices ejus subiit *Vir Perillustris, Generosissimus, atqve Excellentissimus DN. de KLEIN Serenissima Regina Prussiae & Ducis Regentis Meclenburgici Consiliarius Status intimus,**



117
intimus, & Cancellarius eminentissimus, Cum vero
& hoc Academiæ nostræ sydus ad Aulam vocaretur, me
præcunte, totum juris cursum absolvit, ac singularem
in jure doctrinam publica Dissertatione, de quæstione:
An Commeatu falso uti liceat, ad fallendum bo-
stem? probavit. Ta'emq; se gessit, qvi nullius deli-
cti nomine ad concilium vocatus sit Academicum.
Ex hac, Halam Saxonum contendit, Excellentissimos
JCos & Historicos, *magnum* scil. *Samuelem Stry-*
kium, Thomasum, Ludwicum, cujus hospitio uti s
est, *Ludovicum* aliosqve per biennium sedulo & ma-
ximo cum fructu docentes audivit, postea Lipsiensem
& Jenensem Acaderniam adiit, ut & Dresdam aliasq;
Saxonix tum superioris, tum interioris civitates cele-
berrimas visitavit. Redux factus jurisprudentiæ soli-
da fundamenta, privatâ industriâ, denuo repetit, &
facultati Rostochiensi se examinandum modestè sub-
misit, quo peracto, communi omnium suffragio,
calculus meruit, qvi suo jure ad altiora & majo-
rum officia adspirare posset. Conscripsit eo sine præ-
sentem dissertationem de VERBIS HONORIS, quam
die V. Dec. publico eruditorum exhibebit examini.
Ad quem actum, tum honorificâ præsentia, tum
erudito discursu illustrandum MAGNIFICUM DN.
RECTOREM, Illustris regiminis Proceres, utriusq;
reipublicæ Senatam, omnium ordinum Doctores ac
Licentiatos, verbi Divini Ministros, artium & phi-
losophiæ Magistros, lectissimamqve Studioforum co-
ronam, quâ par est observantiâ
& humanitate invito.


P. P. sub Sig. Fac. Jur. d. 24. Nov. 1709.

Rostock, Diss., 1706-09

X 237 3042

✓ 9 18





B.I.G.

Farbkarte #13

JOH. JOACHI- MUS Schöpffer,

709
18

1709 2

J. U. D. ET PROF. COMES PALAT. CÆSAR. CONSIST. DUC.
CONSILIAR. ET CANCELL. MECLENB. VICE DIRECTOR
h. FAC. JURID. PRO. DECANUS.

SUO ET AMPLISSIMÆ FACULT. JURIDICÆ NOMINE

AD
DISPUTATIONEM SOLENNEM INAUGURALEM

VERBIS HONORIS,

UIRO NOBILISSIMO Ac CLARISSIMO
DN. MARTINO ALBER-
TO Willebrandt/Rostochiensi

J. U. CANDIDATO FLORENTISSIMO

DIE V. DEC. A. MDCCIX. HORIS ANTE & POMERID.
PROPOSITAM

MAGNIFICUM DN. RECTOREM, ILLUSTRIS REGIMINIS
PROCERES, AMPLISSIMUM UTRIVSQUE REIPUBL. SENATUM,
OMNESq; OMNIUM ORDINUM DOCTORES AC LICENTI-
ATOS, ECCLESIAS, MAGISTROS, STUDIOSES,
OMNESq; LITERARUM FAUTORES, DEBITA
CUM HUMANITATE, OFFICIOSE
INVITAT.

ROSTOCH, Typis JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC.
& ACAD. Typogr.

Regulae quaedam de interpretatione verborum